



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De obitu Ioannis Petri aui eius, & longa continentia ipsius. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

CAPVT XIV.

De obitu Ioannis Petri aui eius, & longa continentia eiusdem.

1. **N**on est silendum de probitate & continentia Ioānis Petri qui fuit auus huius virginis, & genitor patris eius, ad laudem Dei & dignitatem bonæ propaginis exaltandā. Iste igitur Ioannes Petri laudabilis famæ & vitæ, post obitum vxoris suæ, plusquam quinquaginta annis in viduitate permansit, donec ferè nonagenarius senesceret. Tantam autem continentiam & abstinentiam exercuit, vt coniuge defuncta, tanquam solitarius turtur & castitaris amator, mulierem nunquam cognosceret. Insuper pro conseruatione cælibis vitæ, bis per hebdomadam in pane & aqua ieiunauit, & semel tantum in hebdomada, dominica scilicet die, in prandio carnibus vescabatur.

2. In cuius morte cernens Satanas insidiator malignus, quod ei appropinquare non posset; tam magnum tumultum in alijs partibus domus suscitauit, vt vasa testea frangerentur, absque tamen detrimento & effusione butyri, quod in vno vase testeo conseruabatur. Nec mirum, si fidelissimo famulo Christi, diabolus insidiari ac nocere ausus sit; qui Christo ieiunanti molestias tentationum intulit, à quo tamen victus & confusus abscessit, quia omnipotentem fraudulentus decipere non valuit. Et sicut Angeli sancti, post recessum tentationis à Christum accesserunt: ita piè credendū est, animā Ioannis Petri ab Angelis custoditam: & ad Christum, cui in vita seruiuit, post mortē carnis feliciter esse perductam.

CAPVT XV.

De morte Petronilla matris eius.

1. **O**ngruum etiam videtur inserere paginæ præsentī, obitum nobilis feminæ Petronillæ, matris huius virginis sanctæ; atque nobilibus viris, legitimo ordine virtutis, feminam associare. Transactis igitur octo annis, ab exordio ægritudinis Lideuigis virginis, mater eius Petronilla, ægre filiæ in multis obsequiosa, etiam in ægritudinem corporis incidit: de qua, sicut vna ex filiabus Euzæ, mortua est. Cum igitur morti appropinquaret, & suam imperfectionem attendens, minus iustè se vixisse conquereretur, petijt à dilectâ filia, (quàm Deo placitâ & dilectam nouerat) vt suis meritis & intercessionibus sibi defunctæ subueniret. Ipsa verò omnem cogitatum suum & spem in Domi-
no